

DE REVOCANDIS DONATIONIBUS.

8.56.1

Imp. Philippus A. Agilio Cosmiano.

Etsi perfectis donationibus in possessionem inductus libertus quantolibet tempore ea quae sibi donata sunt pleno iure ut dominus possederit, tamen, si ingratus sit, omnis donatio mutata patronorum voluntate revocanda sit.

1 ¶ Quod observabitur et circa ea, quae libertorum nomine, pecunia tamen patronorum et beneficio comparata sunt.

2 ¶ Nam qui obsequiis suis liberalitatem patronorum provocaverunt, non sunt digni, qui eam retineant, cum coeperint obsequia neglegere, cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium inclinare debet quam ad insolentiam erigere.

3 ¶ Hoc tamen ius stabit intra ipsos tantum, qui liberalitatem dederunt, ceterum neque filii eorum neque successores ad hoc beneficium pertinebunt: neque enim fas est ullo modo inquietari donationes, quas is qui donaverat in diem vitae suae non retractavit.

D. XV k. Iul. Aemiliano et Aquilino consss.

[a. 249]

8.56.2

Imp. Probus A. Felici.

Si apud provinciae praesidem aviam filiae tuae quasi paenitentia ductam subtracta instrumenta donationum igni exussisse constiterit, vereri te non oportet, ne id, quod iure vires acceperat, ex post facto possit in dubium revocari.

PP. III non. Mai. Sirmi Probo A. et Paulino consss.

[a. 277]

8.56.3

Impp. Carus Carinus et Numerianus AAA. Ianuario et Felici.

Possessionem, quam in vos emancipatos per donationem mater contulit, ex paenitentia sola alienare non potuit.

PP. II id. Ian. Carino II et Numeriano AA. consss.

[a. 284]

8.56.4

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Proculae.

Confieri in fraudem te alterius donasse professionem in honestam continere intellegas, itaque si donationem perfecisti, eam revocare non potes ex memorata allegatione sub obtentu paenitentiae.

PP. k. April. Heracliae AA. consss.

[a. 293]